



ANN. XVI - FASC. XI

MENSE NOVEMBRI MCMXXIX

ALMA ROMA



NON QVIDQVID
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephoebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integral ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI

Romae, Mense Novembri MCMXXIX

Fasc. XI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXIX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

De latinae linguae studio¹

Si quis ita fuerit recte institutus, et ea instructus latinae linguae cognitione, ut faciliores scriptores non modo intelligat, verum etiam istos tam habeat familiares, ut omnem istorum dictionem in succum et sanguinem convertisse videatur, elegantiorum litterarum amantissimus integrum opera Ciceronis, summi oratoris et eloquentiae parentis, avide arripiat, eaque nunquam postea seponat; quin versetur in illis diu noctuque, et ita magis magisque filum et corpus orationis contexere discat. Haud enim dubie Cicero latinæ linguae princeps est et magister incomparabilis, qui in omni gradu et genere orationis excellit. Si velis rectam atque puram venustatem cum simplicitate coniunctam, Ciceronis non satis praedicandum exemplar habeto. Si velis graviori spiritu circumductam orationis maiestatem, in summo stabit Ciceronis virtus. Si mediocritatem amas atque argumentorum vim, et demonstrationes temperato stilo expondere velis, tutissimam rursus Cicero prae monstrabit viam.

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Iulii.

Primo quidem legendae sunt eius epistolae ad familiares, et, si fieri potest, eo ordine quo scriptae sunt: hoc enim, propter seriem historiae, quam maxime delectat, studiosam iuventutem ad legendum allicit, eademque opera intellectum egregie iuvat. Ad hunc peculiarem usum epistolarum exempla quaedam disposita prostant; licet enim in illis Ciceronianis epistolis ubique sit proprietas sermonis admiranda et venustas nativa, ingenium tamen aliquo modo iam excitatum, et quasi praeparatum plures requirunt. Nam earum argumenta nonnunquam sunt familiaria ex eo genere, quod curas virorum tangit, adolescentum non item, ut voluntatem ex percipiendis capiant. Ceterarum autem epistolarum argumenta sunt civilia et politica, de statu illius temporis, reipublicae periculis, prudentum consiliis, id genus aliis, quae postulant harum rerum aliquod iudicium. Si itaque huiusmodi materia satis non fuerit intellecta, solus, de quo cogitant, stilus discentibus utilis esse nequit.

Firmiori paullulum ex Ciceronianis epistolis comparata latinitate, ad orationes Ciceronis progrediendum est, atque primum ad faciliores, ut sunt pro lege Manilia, pro Archia poëta, Catilinariae orationes, illa post redditum ad Quirites... Cum orationibus rhetorica coniungi possunt, de

partitione oratoria, de inventione, de oratore, etc., ubi praecepta de arte bene dicens haudquaque vulgaria invenies. Ex reliquis eius operibus libri de officiis non tam legendi, quam ediscendi sunt. Academicæ ac Tusculanae quaestiones, itemque de legib[us] libri diligentissimam et saepius repetitam lectionem requirunt. Nam philosophorum disputationes et controversias tractant, quae studiosæ iuuentuti, in istis non satis exercitatae, magnam difficultatem obiciunt. Redduntur vero dulciores ac faciliores exemplis, historiis, locis communibus, perspicue et plane interpositis. Accedit suavis et elegans dialogorum forma, excipiendique mutuo et reddendi sermonis ratio, quae hominum ingenii semper conveniens, ceterisque graviori longe existimata fuit.

Qui adeo scripta Ciceronis reddidit sibi familiarissima, hoc consequitur, ut ne, si velit quidem, possit non eleganter scribere. Vé quis ignorat periodos, numerum, profundorem et occultiorem compositionis atque circumductionis artem, linguae genium et omnem dicendi vim optime e Tullio nostro hauriri, utpote qui omnes aetas ubertate, facilitate, atque ingenio longe superat?

Enim vero, inquit, nil gravius esse Ciceronis imagine, divinaque illa, et quo vis humano sensu et natura superiori lingua. Attamen, ut recte minor Plinius censuit, stultissimum est, ad imitandum non optima quaeque proponere. Et ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.¹

**

Solidiori ex operibus Ciceronis iacto latinae linguae fundamento, legendi sunt historici, et in his primo Iulius Caesar, de quo eadem dici possunt, quae superius² de Cornelii Nepotis dictione dicta fuere. Utrius-

que enim et candor admirabilis, et docta facilis, et non affectatae virtutes statim omnibus arridere debent.

Nihil invenies calamistris inustum, nihil longe quaevis linguae ornamenti molestem; sed omnia venusta, propria, recta se comprobabunt. Etenim, quod in Augusto Suetonius tantopere laudat,¹ praecipuum curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere. Quod quo facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturaret aut moraretur, neque propositiones verbis addere, neque coniunctiones saepius iterare dubitavit, quae detractae afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Constat rerum suarum commentarios scripsisse, qui nudi esse debent, et omni orationis ornatu carere, tamquam veste detracta. Id tamen consequutus est, ut nativam stili romani elegantiam nullibi non accuratissime expresserit.

Livius illum sequatur, eius aetatis diligentissimus scriptor, quo nihil copiosius, nihil splendidius, nihil validius, nihil elegantius excogitari potest, adeoque, praeter historiam romanam et reipublicae, toto orbe celeberrimae, antiquitatem, ex illo vera stili maiestas hauriatur. Nam conciones eius gravioris et civilis eloquentiae specimen repraesentant, quae oratoriis exercitationibus praeclara argumenta supeditare possunt.

Tum etiam, vel propter historiae utilitatem, legi meretur Iustinus, cuius stilus simplex et perspicuus est, licet nonnulla degenerantis, post ea tempora, latinitatis vocabula in elegantissimam Trogi Pompeii historiam invexerit.

Illi succedat Sallustius, in quo maior est gravitas, minus ad imitationem accommodata; et Quintus Curtius, candidissimae elegantiae historicus, qui utrum plus eloquentiae et artis, an perspicuitatis habeat, discernere vix aliquis satis potest. Atqui

¹ QUINTIL., *Inst. orat.*, X, 1.

² Cf. fasc. sup. mens. Iulii,

singulare posteriores historici hi duo etiam iudicium et ingenium excitatum requirunt, quum ille dictionis brevitate durior, hic tumidior multo in narrandis rebus gestis insurgat.

Neque Tacitus negligendus est, sed diligenter volvendus manu, non propter stilum, qui iusto brevior et affectatus, sed propter historias atque civilem prudentiam, quae in eo incomparabilis.

Ita, praeter Ciceronis, omnium illorum probamus linguam, qui circa eius et Augusti tempora floruerunt; et sunt scriptores quos hodie memoravi. Nam tutius multo illi a studiosa iuventute leguntur. Quibus cum praecipuos, quidquid alii sentiant, aetas proxime sequentis argenteae, vel senescientis linguae scriptores coniungere possumus.

Sed de his aliisque alias.

I. N. F.

Imagines de aeterna animae beatitudine in Christianorum coemeteriis

Abhinc annos duos, nempe mense Novembri MCMXXVII, in hisce paginis de Christianorum sepulralibus symbolis diximus, quae aeternam animae beatitudinem significant; nonnulla hodie addere placet de imaginibus, sive picturis, quae praemium aeternum Deique visionem utique precibus obtinendam, sed nulla de huius vitae aerumnis vel purgatorii cruciatibus facta mentione, respiciunt. Quin imo, si nonnullae istae imagines et ipsos viventes poterant indicare, quippe quae, bibliorum exemplorum commemoratione, fidelium animae ad vitae adversa martyriique discrimina toleranda fortitudinem ingere valerent, eae, de quibus infra sermonem faciemus, nonnisi defunctis aperte et proprie convenientere aestimanda sunt.

Primo igitur nobis obiicitur Moyses sandala sibi solvens; quae quidem imago licet raro ac saeculo dumtaxat quarto fuerit effecta, nihilominus magis quam ut credi possit ad nostrum attinet argumentum. Desiderium enim videndi Deum aut assidua, ut defunctorum animæ ad hanc perveniant visionem, deprecatio, tam in epitaphiis, quam in liturgiis occurrit. Atqui nullo poterat modo aptius illud divinae visionis desiderium exprimi, quam Moysis imagine, sese parantis ut Domini conspectum aeat. Moyses sandalum dexterum alterum solvens, pede super suggestum posito exhibetur; nec rubus ardens adest, semel tantum manus e caelo porrecta conspicitur.

Quod autem Moyses defunctum representet, ex eo appetet, quod, sicut ceterae biblicæ personæ, quae defunctum adumbrant, ipse quoque prorsus imberbis sit effectus. Immo pictura quaedam in coemeterio Callisti, post Moysem imberbem sandalia sibi solventem, statim Moysem rupem percutientem, sed barbatum præbet.

Sero, ac semel tantum, in coemeterio Domitillæ, reperitur imago Eliae ad caelum rapti, cuius sensum oratio *Commendationis animae* satis aperit: «Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Enoch et Eliam de communi morte mundi». Elias videlicet ipsum quodammodo representat defunctum, sicut in ceteris picturis Ionas, Tobias, Daniel, Susanna, etc.; cuius quidem nobis et testimonium perspicuum affert numisma quoddam satis vulgatum, quippe cuius plura supersunt exemplaria paullo post Constantini mortem cusum, in quo imperatorem, sub Eliae specie in quadriga dum in caelum a Deo rapitur, cernimus: caelum a stella, Deus autem manu adumbratur. Ethnicam, uti vocant, apotheosim, quae ad mortem imperatoris siebat, Christianam quodammodo reddere senatum Romanum hoc numismate vo-

¹ Cap. LXXXVI.

iusse, dubium non est. Pictura autem aliquanto est numismate posterior, quum ad secundam saec. iv partem pertineat; quapropter antiquiore monumento, nedum liturgica prece, eius significatio clarior nobis facta est. Modus vero quo prodigium proponitur non omnino respondet historiae, iuxta quam pallium Eliae cecidit, illudque Elius collegit. Contra, in pictura de qua agimus, itemque in quadam Lateranensis musei sarcophago, Elias, priusquam ad caelum rapiatur, pallium Eliseo committit, quod prorsus cum vulgari tunc temporis opinione congruit. Notum est enim Eliae, pallium Eliseo committentis exemplum quasi argumento fuisse sumptum ad commenticiam quandam traditionem confirmandam, iuxta quam Petrus apostolus pallium suum S. Lino moriens creditisset.

Eadem vitae aeternae cogitatio Samaritanæ quoque imagine repraesentatur, sed modo nonnihil diverso. Samaritanæ enim figura refrigerium respicit, quod superstites defunctis ominabantur, nempe quod Patres, liturgiae, acta martyrum et innumera pene epitaphia defunctorum animalibus adprecarentur; praesertim quum, ut in quadam Callistiani hypogeï pictura, non quidem e puteo sed e fonte scaturientem aquam mulier haurire videatur. Ibi enim aqua non extrahitur, sed extra putei labra diffuit; et insuper Christi figura doctoris ad instar sedet, volumen legis manibus explicatum tenens.

Aliud signum e prudentium fatuarumque Virginum parabola deductum fuit. Quum essent virgines Christo speciali modo consecratae, aliquando in earum epitaphiis ad caelum, ad coronam, ad thorum, ad sponsum migrasse dicuntur; quae omnia prudentum virginum parabolam apprime redolent. Sic exempli gratia in epitaphio S. Marcellinae, S. Ambrosii sororis, legimus:

Et te Virgo tuus transvexit ad aethera Sponsus;

Et haec de argomento quod hodie nobis assumpsimus satis dicta sunt. S. S.

atque Damasus sororis suae Irenae epiphium ita conclusit:

*Nunc veniente Deo nostri reminiscere Virgo,
Ut tua per Dominum praestet mihi facula lumen.*

Hac ultima formula evidentissime Virginum parabola designatur, cuius mentio saepe in liturgicis precibus occurrit; quin etiam vel in orationibus pro omnibus fidelibus quandoque invenitur, in ipsa Orientali liturgia.

Virginum tamen parabola ter tantum efficta occurrit, et quidem saeculo iv: Romae nempe bis, semel autem in Maioris Oasis necropoli. Aetate anterior ea videatur, quae in viae Nomentanae coemeterio quod vulgo Ostrianum vocant, cernitur.

Ibi, in lunato cuiusdam arcosolii spatio virgo defuncta (Victoria nomine) orantis instar appareat. Ad sinistram eius quinque procedunt virgines, sapientes scilicet, cum faculis accensis vasisque olei. Ad eius dexteram mensa conspicitur, ad quam quattuor solammodo foeminae discubunt, quinto loco vacuo relicto. Indubium videatur quin caeleste ibi sit adumbratum convivium, vacuusque locus Victoriae virginis ad convivium admittendae sit paratus.

Altera Romana eiusmodi pictura in S. Cyriacae coemeterio invenitur, iuxta quod, iam inde a saec. iv virginum monasterium exstitit. Ibi Christus cernitur, qui quinque prudentes Virgines, faculis accensis oleoque munitas, benigne recipit, dum quinque satuis Virginibus dorsum vertit. Eamdem cogitationem videtur quoddam tituli fragmentum, in S. Callisti coemeterio extans, exhibere, in quo defunctae anima sub specie columbae, Christi monogrammati adstat, faculam accensam versus illam protendens.

Aliter denique Virginum parabola in Oasis necropoli repraesentata est. Ibi enim Virgines, alia post aliam, ad sponsi domum diriguntur, lampadis instructae.

Et haec de argomento quod hodie nobis assumpsimus satis dicta sunt. S. S.

DE IOANNE BONETTI¹

Admirabilis et simplex animorum ingenuitas in eo vigebat, et magna morum castigatio. Qui vero candidus honor in Virginem Augustam, cultusque ardens in Augustissimum Sacramentum! Quo melius atque strictius Iosephus noster sanctitati vitae inserviret, sibi unicum arcanum conscientiae moderatorem elegit, quem maximo obsequio colere statuit, neque ab eius imperio nedum consilio, ne transversum quidem digitum, recedere. Idque rei fuit singulis diebus suprema religio. Ad haec, die conducta, quam nulla unquam difficultate praeterire patiebatur, confessarium adire consuevit, et admissa rite accusare. Quo melius sancta eius consilia cum propositis adamussim retineret, diligentissime describebat.

Egressus a gymnasii scholis, quum sacrae militiae lubens nomen dedisset, quoniam nondum mos erat apud nos manere pro philosophiae curriculo, ut suorum voluntatem sequeretur, in Seminarium Cheriense perrexit, ut in primis huic disciplinae operam navaret.

Equidem voluisse apud nos versari atque ad latera patris stare, ut eius usus consilio, cuius sanctitatem optime noverat, sanctissimos mores facilis acquireret. Alia equidem illa tempestate hominum voluntas.

Aegerrimo igitur animo, ineunte autumno quinquagesimo nono saeculi elapsi, illuc studiorum causa se contulit. Verum, quum in omnibus virtutis exemplar subito elucesceret, suis superioribus carus fuit atque acceptus. At adversa implicitus valetudine, medicorum suasu, inter suorum superiorum moerorem, domum est ad suos redire coactus. Tunc idoneum

tempus ratus studiis obsequendi suis, alacer Augustam Taurinorum se iterum contulit, eo consilio, ut ibi in aevum permaneret. Eum nos veluti ovantes accepimus, qui magna omnium laetitia vitam sanctis operibus opimam recepit atque saluberrimis fructibus auxit. Pro pueris qui ad artes incumbeant, et illa praesertim tempestate, salutari quodam auxilio destinatis, alacrem operam suam adhibuit, et mirum in modum e patris voluntate eos ad pietatem effingere caepit. Quo amore eos est subito prosequutus et quo studio eos ad virtutes colendas re et consilio strenue hortabatur!

Tunc demum inter utramque puerorum classem, qui in spem religionis in aedibus nostris succrescent, mirabilis oritur operum aemulatio; eademque in virtutibus colendis sedulitas atque imitatio, idem studium in rebus sacris peragendis. Quotidie complures devotissime Corpus Christi accipere, Sanctissimum Sacramentum interdiu adorare, aliaque id genus vel inter operandum peragere.

Quo vero facilis ad pietatem incederent, et fraterno veluti vinculo adlegati, alii alii essent auxilio, inire inter ipsos societatem statuit, qui, sub titulo Sancti Iosephi, augustae Matris sponsum, singulari obsequio colerent, atque in eius imaginem, ut in virtutum exemplar, respicerent. Sic exorta est in nobis celebris illa artificum sodalitas, quae, labentibus annis, suffragante sancto Iosepho, tot saluberrimos fructus retulit.

Ita tamen in posterum se ipse finxit, ut, quum multa fortiter operaretur, caveret, ne qua in re aliis imprudens videtur, atque ut ita dicam, vel longissime iure plecteretur.

Labente anno saeculi elapsi tertio et sexagesimo, Pater primam extra urbem Taurinensem domum, ut suam voluntatem divinitus obsequeretur, aperuit pueris dendis *Mirabelli* apud Casale Sancti Evasii.

¹ Cfr. fasc. sup.

In illis, quos Pater uti magistros illuc mittendos esse cogitavit, et Iosephus Bonetti est recensendus. Quod quidem sibi munus ex improvviso demandatum optime reapse undeque exigit.

Neque est silentio praeterendum, imo in primis referendum, honoris gratia, ipsum, feriis autumnalibus posthabitis, summa alacritate ac diligentia in litteris latinis graecisque intimius arripendis, vix superatis Theologiae periculis, ita incubuisse, ut in Maximo Taurinensi Atheneo, Gymnasi professor, praeter omnium opinionem, et maxima cum laude iure renuntiaretur.

Mirabelli, in nova quodammodo vivendi ratione, et in Patris exemplis fidentius respiciens, ingenii festivitate atque expoliatore doctrina ita inter aequales se gessit, ut pueros suae disciplinae commissos, ad pietatem atque ad morum sanctitatem mitem in modum informaret.

(*Ad proximum numerum*).

I. B. FRANCESIA.

oo

HVMBERTO

E GLORIOSA SABVDIAE DOMO
ITALICI REGNI
HEREDI PRINCIPI
AB IMPIA SICARII MANV
DIE RAPHAELI ARCHANGELO SACRA
SOSPITI
A. D. MCMXXIX.

Quis Tibi, quis dedit intentata morte salu-

[tem?]

*Praesenti Raphael numine, crede, suo:
Ad Te, non visus, caelesti missus ab arce,*

*Ipse tuum, ut Tobiae, nam comitavit iter;
Florenti atque tuae gaudet comes ire iuventae,
Mente animoque piae, moribus ingenuae.
Eia diu vive, et Patriae servare triumphis,
Pro quibus exsultans defero vota Tibi!...*

Laureti in Piceno.

IOANNES FRATINI.

EX HISPANIA

Gravis admodum pro Missionibus Con- ventus apud Barcinonenses.

Occasione arrepta a famosa internationalium rerum Exhibitione, quae Barcinone intra superbias aedes, in amoenissimo Montis Iovii agro exstructas, pernitido, quo coepit, cursu eodem procedit, a cogitatione vix nemo absuit ad insignes conventus convocandi viros gravissimos et rerum usu peritissimos, qui de negotiorum omnium cursu et omnibus humanae vitae commodis inter se verba facerent. Inde magnum statim pondus habuit species et sententia convocandi quoque, annuente Pio XI, P. M., summo divinae mentis interprete, insigne pro Missionibus Conventum. Probatum consilium fuit.

Itaque egregii Ecclesiarum Hispaniae Antistites omnes, praeante Excmo Doctore Mattheo Múgica, Victoriensi, Instituta, Congregationes Ordinesque Religiosorum, incenso mentis studio, quantum tulit ingenii acies, omni scilicet animi impetu, in multis magnisque versati fuerunt laboribus, ut commoda plurima rei missionali emanarent utiliterque multa profiscerentur ex publico pro Missionibus Conventu, postrema habendo hebdomada Septembribus anni labentis. Hoc igitur animo, hac mente moti Episcopi, plurimi sacerdotes saeculares et regulares, et socii, vix numerabiles, huiusmodi convccato Conventui libentissime adfuerunt, spe magna erecti felici potiendi exitu. Optatis fortuna respondit.

Etenim Conventus missionalis non modo sui expectationem explevit, sed etiam superavit, nemoque de spe atque conatu depulsus fuit, et *Hebdomada Missionologiae*, seu *Missionalis* quae nuncupata est, ita omnibus suis partibus et numeris expleta et absoluta fuit, ut ex hominum animo

nunquam deponenda quidem sint: immortali scilicet memoria dignissima.

Etenim doctissimi viri (quos inter re- censendus est legatus Purpurati Patris Van Rossum), doctrina missiologica ex culti, de Missionibus sacris optime meriti, aperuerunt sermone familiari, pleniore cum templis et aris, rationes Missionum idoneosque modos adhibendos ad numerosam hominum multitudinem ab infidelitatis tenebris ad Christi lumen conver tendam, ad revocandum hominum animos et mentes ab impio idolorum cultu et errore, ad veritatis lucem vindicandos; denique a daemonum servitute in gratissimam verae libertatis agnitionem ac pos sessionem.

Alii, magno rerum missionalium usu gnari, exposuerunt, quantum res missionalis habeat difficultatis gravissimamque rem esse et non exigui laboris, negotii, operis. Alii vero plurimos nodos difficultatum singulari doctrina dissolverunt, et plurima, quae difficilia atque obscura videbantur, sapientiae sue lumine illustrarunt.

Plures divini precones, in sacris etiam expeditionibus versati, reserarunt actione vehementi, magnas, in quas incurrint, difficultates: « Saepissime - dicunt - inter saxum et saxum constituti sumus, inter malleum et incudem; haeremus quasi in salebra ». Idem fuit omnium in hac re lenienda consensus, eadem conspiratio. Ora tores denique alii, summa copia ac singu lari dicendi facultate ornati, eos, qui pro positiones, theses, assertions deferendas tuendasque suscepserant, urgent, instant, redarguunt, nec illas, nisi firmis argumen tis, herculeis, ut ita dicam, patefactas, ad probant.

His maximi momenti rebus, in qua estionem per totam hebdomadam Missionologam vocatis, vagari latius possem longiusque excurrere, nisi me ipsa materiae copia brevem esse admoneret. Tempus mihi deficeret, ingenium ipsum deficeret,

vires mihi decessent, si solutiones singulas, si quicquid Missionum utilitati, commodo, usui, emolumento dictum fuit, omnino expendere conarer.

Insolitum splendorem, quo sacris super Missionibus colloquiis impositus tandem finis est in amplissimo Palatii Nationis conclavi, nulla debet oblivio. Aderat Rex, Regina augustaeque filiae suea, egregiis comitantibus viris, quos inter Praeses sa crorum Ecclesiae Tarragonensis, qui ex Patrum Purpuratorum numero est, Episcopus Victoriensis ac Episcopus Barcino nensis, Vicarius Apostolicus Dioecesis Shikiku, Moderator rerum civilium, et Supremus dux Catalauniae. Hi locum pri marium tenebant. Duodecim vidi episco pos alios (sex advenas, scilicet Dioecesis Darien (Panama), Verapoly (Indiae Britannicae), Casanave, Sanctae Rosae (Colombiae) Torija (Boliviae) etc., et claros quoque viros, in quibus apud Barcinonenses est auctoritatis plurimum. Orationes, eloquentissimis verbis exulta, parcus et accurate dictae fuerunt a P. Iosepho Alvarez, O.P., Vicarius Apostolicus Shikiku; ab Episcopo Barcinoensi ac Victoriensi, a quibus Hispaniarum regi Alfonso XIII, cumulatissima gratia relata fuit propter suum erga Conventum pro Missionibus detectum amorem. Archiepiscopus denique Metropolis Tarragonensis, purpurei pars Senatus, magna cum eloquentia opus missiologicum maxime commendavit et commodam occasionem Conventus habendi Barcinone, terra Sanctorum et Martyrum, laudibus extulit.

Ne longiore oratione utar quam debeo, lectores humanissimi, in proximo numero, Sacrum solemini ac Pontificio ritu in Stadio factum explicabo, et simul apparatissimam pompam, historico-missionalem, cum magna clericorum, fratrum civiumque multi tudine praecipuas per urbis vias ac plateas ductam, libentissime referam. Nunc vero sermonem ad aliud convertam.

Non in angulo dicam, sed super tecta
praedicabo non parvam a nobis captam
voluptatem ex claris istius generosae Ita-
liae civibus ad nostram, populo ingenti
celebrem, Barcinonem adventantibus.

Ex officinis Italies, quibus nomen Fiat,
mille opifices laetam quidem expeditionem
constituentes, Barcinonem, universalem
visuri Exhibitionem, advenerunt. Item mille
supra centum quadraginta iuvenes, qui
fortiter corpus exercent in opere nationis,
cui ex illo Genuensi adulescente Balilla
nomen est inditum, in nostram se e navi
transatlantica itala Cesare Battisti ter-
ram descenderunt. Hos magna receper-
unt cum benevolentia cl. Italiae consul,
eques Romanelli, tribunus militum, et plu-
rimi simul Itali Barcinone vitam degentes.
Postquam eis Praetor Urbis salutem dixit,
coetus musicorum hymnos Italorum et
Hispanicum interpretati sunt. Pretiosiora
urbis et praesertim amoenissima loca, in
quibus recentissima quaeque artium pro-
ponuntur, immensa correpti admiratione
inspexerunt.

Praeterea non quidem parva corona
auditorum pervenit celebris Academiae
Mediolanensis.

Denique, aliis complurimis praetermis-
sis, iam nos nostraque visitavit insignis
doctor Guilelmus Marconius, qui non alte-
rius iudicio, sed propria Minerva ex ingenio
suo tam mirabilia deprompsit commoda.

Vos igitur, amici humanissimi ege-
giique doctores, I. Fornari et M. Galdi,
cur tam praeclaram rem videndi immor-
talem hanc Barcinonem eiusque Internationale
Certamen sine mora non aggredimini? Cur cessatum est tantum? Sat cito
tamen, si sat bene.¹

Scip. Vici apud Ausetanos, xii kalendas Novem-
bris MCMXXIX.

I. FONTS.


¹ Facerem equidem libertissime, si possem, o Fons
clarissime atque humanissime! (I. Fo).

ACROASIS MATERNA

O curae pars magna meae, ducissime rerum,
Huc adsis: volo te paucis: nunc ludicra
[pone,
Atque aures adhibe dociles animumque do-
[cendum,
Seria dum dicam. Tibi iam cum floreat aetas,
Qua tenerae incipiunt mentis se promere
[vires,
Continuo debes materno discere ab ore,
Quae non lapsuram pariant tibi, nate, sa-
[ludem.
Crede Deum, summum patrem rerumque po-
[tentem.
Suspice nam caelum sparsum lucentibus
[astris:
Hoc ille e nihilo eduxit, magnosque per orbes
Incitat, et firmis sapiens moderatur habens.
Aspice frugiferam terram varioque decoro
Ornatam: haec etiam divino est condita nutu.
Quin superum turmas hominumque creavit,
[et unus
Servat habetque omnes. Unum quem credis,
[eundem
Et trinum venerere pius, divoque Parenti
Aequaeam Prolem, aequaeum fatearis
[Amorem.
Praeterea in Christo verum tu pronus adora
Numinis unigenam, qui nos ut fauibus atris
Daemonis eriperet, mortales induit artus,
Virginis et Mariae de casta prodiit alvo.
Qui possim verbis diros aequare labores,
Quos tulit, ut nostro lueret pro crimen
[poenas?
In cruce suffixus, praetor cum Pontius esset,
Vitam exhalavit, sedes et cessit in imas.
At simul affulsit mundo lux tertia, vivus
Emicuit rursum; caeli mox vix ad aulam
Ascendit. Solio fulgens nunc Patris in alto
Assidet ad dextram. Sed iudex inde redibit,
Ut qui duxerunt in terris puriter aevum,
Aeterna faciat caelorum pace beatos,
Et poena dignos stygium detrudat in ignem.

Haec nos religio docet: haec sapientia prima:
Haec Fidei praecepta puer nunc pectore
[mundo
Ebibe; et hic maneas, hic murus aheneus
lesto.
Nam genus hoc inter vitae versaris, ubi acris
Impietas furit infernis emissâ tenebris.
Hanc prudens caveas, et pro virtute Fideque
Sis quoque divitias animamque offerre pa-
[ratus.

A. BASILI.



PEREGRINUS IN URBE¹

In ipsis coniurare et quasi omnes, ut
dicunt, in Germanos, ut teterrimi belli
autores, invehere videntur; saevire... Et
si vel tantisper ipsi se defendere nituntur,
adversarii concordes insurgunt, atque
frementes conclamat: *Ne tanta superbia
victis!* Atque adeo, homines ad pacem
comparandam missi, et eo consilio simul
coniuncti, uno saepe verbo, volentes, vel
nolentes novum bellum instaurant.

Nec sane abs re. Homines illi, cetero-
quin doctissimi, atque acerrimi ingenii, et
in primis rerum usus hominumque con-
suetudine praediti, qui ad celebrem pacis
conventum undique acciti, impensis ac
nomine pro singulis nationibus victricibus
decernendis pro viribus contendunt, ad
contrariam saepe sententiam ruunt, atque
re admodum infecta, admirante universo
orbe terrarum, ad suos redire turpiter
mitantur».

At quorsum haec tua verba spectant?

Quibus ipse mitissime respondit: Ecce
ad rem subito venio. Multi sunt in illo
Conventu praeclari homines, sed quis eis
consilio dominatur aut auctoritate, cum

¹ Cfr. fasc. sup.

virtute eos ad iustitiam dirigit? Si nos
pacem studiose quaerimus, sudamus equi-
dem ad eam, itemque algimus, sed pax
semper e conspectu nostro evanescit! Su-
mus ut Tantalus, qui « a labris sitiens fu-
gentia captat flumina ». Habemus qui-
dem Pontificem et praesentem... sed nolu-
mus regnare super nos!

Si vera exponam, dicite; sin', me ad
rectum tramitem redire iubete!

Abhinc quadraginta circiter annos,
quum res in eo essent, ut grave bellum exar-
desceret inter Hispaniam atque Germano-
rum imperatorem, Leo XIII Pontifex Max.,
plaudentibus universis nationibus, morem
paci imposuit. Tunc hoc mirabile signum
adparuit, multis labentibus saeculis, virum
inermem, doctrina modo ac sanctitate in-
nixum, regibus iam iam atrociter dimi-
caturis suadere pacem atque imponere.

Omnis populi, rerum novitate perculsi
et laetitia gestientes, gratias Christiani
Nominis Parenti quam maximas egerunt,
qui mirum in modum pacem adstruit, et
vel potenti Germanorum imperatori pre-
scripsit.

Recordor euidem haud defuisse poë-
tas, qui immortalibus versibus haec gesta
ad sidera tollerent, in quibus, mea sen-
tentia, iuvabit et nunc in medium ferre
Iosephi Brunelli carmina, amici mei ca-
rissimi, qui inter cetera dicere haud dubi-
tavit pro illa tempestate audacissima, haec
quaes fortassis ita latine exponere poteris:

*Si, Pater, armis gens Te respexit humana,
In terris caelum tellus et ipsa fore!*

Quam opportuna atque commoda est
rerum ista recordatio!

— Verum — ait quidam ex iuvenibus —
quoniam modo, gravissimis illius aetatis
temporibus, adeo rei catholicae atrocibus,
res tanti ponderis ad arbitrium Pontificis
Maximi delata est?

— At vos — reponit ille — adeo iuvenes
estis, ac quasi repentina, ut hanc rem ho-
minemque clarissimum ignoretis?

— Dic citius, amabo; quis fuit tanti consilii auctor?

— En promptissimum responsum. Audistis, ne forte loquendo, hominem nomine Bismarck?

Hic vero ex omnibus conclavis partibus, quasi ex composito voces inconditae oriuntur, quae per aërem simul circumvolant:

— Utique novimus per aures hominem! Minister qui fuit primi imperatoris Germanorum!

— Primus qui fuit et ultimus! « Impiger, iracundus, inexorabilis, acer! » At quomodo orator hic et cavillator potius, qui in omnibus sic imperitabat, et omnia suo arbitratu sic disponere in Europa audebat, ut nemo ab eius consilio recederet, nunc vi quadam coactus, se se alieno submittit? Alphonsus XII, Hispaniarum rex, fuit qui, pervigil dignitatis populi sui adsertor, admirantibus omnibus, audaci homini resistere est ausus eiusque potentiam invicta fortitudine fregit animumque suorum mirabiliter sustulit.

Quin imo, etiamsi armis longissime impar, iustitia attamen fretus, ignominiam hominis indigne ferens, ad arma potius confugere erat paratus quam tantum decus sufferre.

Nonnulli ex vobis procul dubio memorabunt, quid essent eo tempore Germanorum imperium et in primis eius formidolosus minister, in cuius manibus et potestate erant omnia, quae ad Germanos ac prope ad omnes terrarum orbis nationes pertinerent. Eius enim nutu omnia gerabantur, atque, ut olim apud veteres poëtas, *imperium erat Iovis cuncta supercilium moventis.*

In illis gravissimis rerum difficultatibus, Germanorum minister, nescio qua prava imperii cupiditate, Insulas Philippinas, quae sunt in remotissimo pelago Pacifico, occupare inhiat, et nullo quasi obsidente, ad eas appellere nititur. Eas equidem facile

obtinuissest, nisi Deus virum illum excitasset maximi consilii, qui rem hispanicam profligatam, praeter omnium opinionem virtute sua restituit: Alphonsum, dixi, XII, qui insulas suas longo tempore Hispania possideret, has ab hostibus pro viribus vindicare nititur, ad omnia potius paratus pericula, quam vel tantillum ab obtentis regionibus recedere. Hisce rebus recreati omnes circiter populi partem Regis Hispaniarum sequuntur, eique privatim et publice assentiuntur, et in primis gaudent quod audentior administer, hisce recentioribus difficultatibus detentus, haud posset in posterum se superiorem semper praedicare. Et Hannibal noster vinci potuit! Casum qui saepe transit invenit: ita minister ille, quem amici atque adversarii *ferreum* advocate consueverant, qui usque adhuc, ut Achylles

exspers terroris

Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus,
incidit in parvulum hunc scopulum et misserrime naufragium fecit. Ipsa quarta potestas, quemadmodum se se passim diurnorum scriptores iactanter appellant, et e contra administer *reptilia* superbe atque ignominia vocat, adversum impotentem virum saevire coeperunt eiusque consiliis obluctari.

Tunc vir ille, qui olim, rebus in prosperis, se se frangi nescium iactabat, et adversariorum catholicorum oppugnationem contemnebat, nec unquam ad Romani Pontificis pedes in Eius obsequium provocaturum esse, ut olim Henricus IV ad Canoxianam arcem, vulgo iterum negabat, in hac rerum difficultate, haud amplius sui securus, de rege Hispaniarum placando maxime cogitavit.

Tunc callidissimus vir, dum publice minitantis regis impetum excipere et negligere singit, ex eius consilio, viribus coniunctis, ephemerides omnium gentium Borussicae, populorum veluti felicitati studentes, mitissimis verbis pacem praedi-

cant omnibusque suadent. « Quid prohibet ipsum Leonem XIII, perpetuum pacis auctorem adire, qui semper concordiam civium fovit atque atrocità bella est deprecatus, ut studio pacis, et princeps mitissimi ingenii, populos a civili sanguine prohibeat? Hic enim est vir sapiens, iustus, acerrimique iudicii!

Hic affliti et iacentis iura tuetur, et superbissima imperia aspernatus, pacem iustum mortalibus suadet... et in omnem late orbem terrarum dominabitur...

Haec vox in primis veluti timida exorta atque in vulgus collata, vires acquirit eundo...

Tunc denuo ipsi scriptores rem quotidie pulchrioribus verbis exornant, et cum Cicerone passim evulgant: « Non solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis maximeque rei publicae!

« Quis ferret patriam tributorum vinculis, quasi praedonum manibus, atque atrocissimis bellis, strangulatam? »

Tunc audacissimus vir, ut si rerum necessitate compelleretur ne suis amplius noceret, et quasi populorum voluntate congeretur, ad Pontificis tribunal aditum se esse profitetur, eiusque sententiam exploratam libenti animo accepturum.

Quid fecit Rex Hispaniarum?

Quid consilii fuit apud omnes gentes?

Res viro sapienti atque forti est delata, et omnes in eius virtute ac doctrina conquiescere confidentur. —

Tunc temporis, quum omnes conticescent intentique ora tenerent, vir quidam ex improvviso, omniumque assensu, elata voce clamat, Vergilii carmina memorans:

*Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est
Seditio saevitque animis ignobile vulgus,
... Tum pietate gravem ac meritis si forte virum*
*[quem]
Conspexere, silent arrectisque auribus adstant...*

Sic - ait noster - Pontifex, dictis animos et pectora mulcet,

Et cunctus pelagi cecidit fragor ...

Quasi uno ore haec vox circumvolabat:
« Quam apte! quam bene! »

— Et adhuc, etiamsi tot tempora, tot rerum hominumque series transierunt, animorum nostrorum commotionem memorabo, omniumque populorum exspectationem. Namque haec res omnibus mirabilis adparuit et posteris maxime laudanda, vel inter horrentes armorum strepitus, Pontificem, peritissimi ingenii, pacem mortalibus suasisse, et primum Othonem Bismarckum, qui tot regna atque imperia everterat, Delphici christiani responsum humili vultu excepsisse, et iudicis insuper sapientiam atque altitudinem mentis admiratum, ratam habuisse atque adprobatum.

Illo tempore, veluti ex composito, non modo omnes catholicae sapientiae sectatores, sed et dissidentes, Leoni XIII Parenti Christianorum optimo sapientissimo atque invicto hostium statori, ob restitutam universo terrarum orbi tranquillitatem, gratulati, dona donis cumulant.

Quae quum ita sint, cur dicere prohibebor quae optimum finem narrationi aliquam tandem prolixiori imponant?

Quod nuperrime Pius XI, incredibil Christiani Nominis laetitia, foedus cum Italia iniit, auspiciis futurae securitatis, et cum omnibus late populis faciat, ut hi acerbitatibus suarum nationum facile subveniant. —

Tunc omnes adsurgentes, dicunt:
— Quod felix, faustum, fortunatumque siet!

SUBALPINUS.

MONITUM

Sub anni exitum, socios qui nondum pretium subnotationis sua solverunt, iterum iterumque precamur, ut nobis tandem aliquando satisfiant.

COMMUNIA VITAE¹

R. — Non omnia quidem semper prospera (ex sententia) succedunt (fluunt ad voluntatem). — Rebus nostris non omnibus contingit exitus, quem optamus. — Non omnia lauste, feliciter, prospereque eveniunt (seundissima accident). — Non omnia quae suscipimus ad optatum exitum perducimus (deducimus; provehimus). — Non omnia nobis semper optata contingunt (eveniunt; optatam sortem adipiscuntur; felicem sortiuntur eventum): res igitur priusquam aggrediamur, necesse est expendamus diligenter (iudicio certo ponderemus; iustis examinemus ponderibus; pari pondere trutinemus; aequa iudicii lance libremus animo attentius perpendamus).

Officia libenter praestita.

Quamquam ipse ego sum multis negotiis implicitus (involutus; districtus; distensus; immersus; obrutus; opertus; intricatus; impeditus; illigatus; obvinctus; devinctus; obseptus; oneratus; oppressus; oppletus) optatis tuis respondere (satisfacere) conabor. — Magna et multa me nunc negotia circumvallant (circumstant; circumsistunt; obsepiunt; cingunt; obsident; premunt; urgent); non tamen tuae rei indormiam (in tuis necessitatibus indormiscam), dummodo ne iam eo devenerimus, ut quidquid molituri simus, merum sit nihilum (omnia ad nihilum occidunt; funditus intereant atque deleantur).

Quamquam adeo me urgent occupationes, ut me non sinant respirare (interquiescere; tantillum quiescere; interspirare; ut mihi nihil laxamenti [relaxationis] impertiant [tribuant]; ut non liceat mihi relaxare vires a labore (recreare animum ab contentione; ut ne momentum quidem

¹ Cfr. fasc. sup.

interquiescere me patientur) rem quoque tuam occupare satagam. — Quamquam datur nunquam mihi vacare (otiosus esse), et semper cogito, molior, ago; quamquam assiduis occupationibus distineo (implicor; impedior; detineo; irretior; premor; assidua occupatione me exerceo), numeris omnibus, qui supersint, ad tuum discrimen animum intendam (me et in tuo negotio immergam; involvam); discriminis tuo affixus (assiduus; attentus) incumbam (haerebo); assiduam pro viribus ac sollicitam operam tuae rei navabo (impendam; dabo); in re tua exercenda omnem curam et operam ponam.

Gratus animus.

— Hoc officio arctius me tibi adstringes (obligatiorem me tibi facies; devinctiorem reddes) quam ut agere gratias possim. — Maius erit hoc beneficium, quam ut illud digne valeam predicare. — Hoc nomine plus tibi debebo, quam ut unquam solvendo esse possim.

Gratias maximas (ingentes; summas; mirificas) tibi ago, quod me tam multis beneficiis ornes. — Valde te amo et habeo gratiam (gratiam et habeo et habiturus ero immortales; maximas tibi gratias ago et maiores etiam habebo; habetur a me gratia et semper habebitur). — Pares gratias agere vix possum, referre nequam, quod tam praestanti in me benevolentia et divino quadam studio esse volueris. — Dici non potest, quantam apud me gratiam merearis, quod tuam mihi observantiam (liberalitatem; benevolentiam) novo humanitatis exemplo declarasti. — Gratias tibi ago immensas, et quamdui vitam hanc egero, habebo. — Incredibilem tuum erga me amorem et studium singulare, ut libenter agnosco, ita studio colam sempiterno. — Omnis mea ratio, actio, cogitatio nihil aliud erit, nisi constans ac perpetua beneficii tui commemoratio. — Omnem aetatem ad tua promerita praedi-


canda referam (in tuis promeritis praedicandis consumpsero). — A me, gratis agentis, praedicandaque tua in me benignitate, quamdui hanc vitam egero, celebraberis. — Est cur tibi gratias agam (tribuam; reddam; persolvam).

Quibus officiis tuum erga me beneficium remunerabo (pensabo; compensabo; rependam; remetiar; reponam)? — Quam laboris mercedem (quod praemium) tibi deferam? — Quod stipendum pro labore tuo solvere potero? — Quem fructum humanissimi operis et diligentiae tibi referam?

Ego quidem significaciones (signa; notas; argumenta; indicia) mei grati animi in dies tibi ostendam (dabo; praebeo). — Constabit (patebit; perspicuus erit) meus in te amor. — Ex apertis indicis (ex argumentis minime dubiis; ex testimentiis minime obscuris) gratum animum meum cognosces (meos sensus intelliges; voluntatem meam perspicies). — Mea in te omnia summae necessitudinis officia constabunt. — Gratum tibi animum meum evidenter indicabo (patescam; significabo; declarabo; aperiam; testificabor; probabo).

(Ad proximum numerum).

I. F.



ANNALES

Ex Americis.

Iter, quod Mac Donald, novum gubernii Anglii praesidem, ad Foederatas Civitates Septentrionalis Americae suscepisse nunciavimus, inter ovantes et gratulantes gentes effectum est; Neo Eboraci in urbe praesertim, ubi ille, cives alloquens, fortiter affirmavit, quolibet loco et quando Dei opera edenda fuerint, ibi futurum semper ut utrius nationis, Anglicae scilicet et Americanae, vexilla simul agitantur. Ceterum non est dubium quin in colloquiis

inter Mac Donald et Howerium, Americanorum praesidem, habitis, duarum nationum, de omnibus rebus quae intercedere possent, concordia sit confirmata; certe navalis conventus Londini proxime habendi ordo et argumenta constituta sunt; ad ipsum enim publice iam invitatae fuere Italia, Gallia et Iaponia; quae oblatam conditionem acceperunt. Quamquam Italiae mens iam nota omnibus est, sese nempe quaestionem de deponendis navalibus armis scindere non posse ab armorum terestrivm aërorumque depositione. Gallia autem declaravit eiusdem conventui decisiones ratas haberi non prius licere, quam Genevensis Nationum Societas suas fecerit. Propositum autem ut inter vocatas nationes privata de re colloquia conventui indicto praemittantur; cui conditioni et Iaponia accessit.

**

Seditiones et bella.

Seditio illa, quae in Afganistana regione iam diu exarsit, ad gubernacula regni nunc sustulit Nadir Khan, universae militiae magistrum, qui, Kabul urbe capta, fertur regiam quoque potestatem assumisse. Alii vero dicunt nomine Abdul-Hamid, regis imperio spoliati, id egisse: placentur ne tandem animi?

Profecto odia inter Sinenses et Russos minime restinguntur: nunciatum est, hosce Lacha-suzu urbem ad Amur flumen positam, post acerrimam pugnam, occupasse.

**

Augusta sponsalia, infando faciore turbata.

Dum Itali nos et Belgae summopere laetamur ob sponsi fidem datam a dilectissimo nostro Principe regni herede Humberto e Sabaudica augusta domo, Mariae Iosephae, Belgarum regis filiae, iam pridem a nobis amatae, quia plures a plu-

ribus annis in nostris civitatibus eam vidi-
mus litteris humanisque nostris artibus
sese optime erudientem, en necopinatus
eventus animum nostrum vehementissime
tangit. Perditus enim homo e communis-
tarum factione, patria extorris, nefarie,
manuballi tae ictu Bruxellis iuvenem vi-
tam impedit. Divino numine infando faci-
nori parcitum est: Humbertus princeps
feliciter incolumis evasit... Sic eum, cum
femina, quam fauste sibi uxorem deligere
maluit, Italoque omni populo Deus diutis-
sime fortunet!

POPLICOLA.

VARIA

**Francici regni initium et Salicae
legis origo.¹**

Bella civilia, quae Galliae regnum
omnium rerum perturbatione ad quadra-
gesimum annum gravissimis, iisque assi-
duis calamitatibus affecere, etsi ex una
parte praeclaris facinoribus referta sint,
ut animum acriter ad ea intendentibus sa-
luberrima documenta praebere valeant, ex
altera vero tanta caligine obducuntur, ut
ad certius aliquid afferendum cum maxi-
mis difficultatibus conflictandum sit; mul-
tarum enim rerum consilia, et origines ea
sollertissima arte obiecta sunt, ut fides a
privatorum studiis huc illuc distracta, quo
certo loco sit constituenda, aegre digno-
scatur. Multi egregii ingenii scriptores,
haec diligenter conquisita in lucem cum
singulari diligentiae laude protulere; ta-
men difficultates perquam graves, et nodi
in tam immensa successuum singillatim
maximorum congerie reliqui sunt, quorum
intelligentiam et cognitionem discordia-

¹ Ex Francorum historiis a F. DAVILA italice
scriptis, lib. I.

rum civilium tenebrae infuscant, si non
obruunt, ut qualiscumque ad eos enodan-
dos, eruendos et distincte recensendos la-
bor insumatur, non tam iis, qui prius fue-
runt, quam posteris voluptati atque utili-
tati futurus sit...

Vigente Imperio Romano, fere in uni-
versum orbem lato, eae gentes, quae po-
puli romani servitatem effugere potuerunt,
carceribus retentae, quibus ipsa ab natura
conclusae fuerant, propriam libertatem
custodire antiquius habuere, quam finitimi-
orum res occupando, fines suos exten-
dere. Ita in Oriente Parthorum ferocitatem
Euphrate, et in occidente sole Germanorum
impetus Rheno flumine esse coercitos evi-
denter patet. At postquam Romanorum
Imperium, aut sua mole faticere, aut anti-
quius immutatis moribus in praeceps ire
coepit, pleraque barbarae nationes, pri-
stino metu posito, in romanas provincias
irrumpere ausae sunt undique, et diversa
tam diversi corporis membra occupantes,
in nova regna novasque ditiones distra-
xerunt. Unde earum nomen, quod antea
vix innotuerat, celebre deinde fieri coepit;
quapropter habitus, linguam, mores, cum
antiquo nomine iidem victores populi cap-
tas gentes mutare coegerunt. Sic Britan-
nia ab Anglis Anglia, Pannonia ab Hun-
garis Hungaria, Cisalpina etiam Gallia a
Longobardis vulgo Longobardia dicta.

At prae ceteris gentibus, quae maximis
rebus gestis, belli gloria, imperii amplitu-
dine et equabilis regiminis forma magis
inclaruerit, Gallica videtur omnibus ante-
ferenda; nam Ostrogothorum, Vandalo-
rum et Longobardorum aliarumque bar-
bararum gentium excursiones, fulguris ad
instar, quod oculorum aciem perstringendo
evanescit, amissis dominationibus, brevi
deperierunt, et Gallica natio hominibus,
virtute bellicia et opibus pollens, post for-
tissimos populos domitos, et factam sibi
subiectam Europae praecipuam partem,
hominum divitiarumque copia maxime

abundantem per annos ab hinc MCC, pri-
maeva nequidquam regiminis sanctitate
diminuta, imperio nunquam non conti-
nuato potitur.

(Sequitur).

**

**Pro iudicibus mensarum elegan-
tibus.**

ESCARUM ORDO:

Perlacei hordei globuli.
Offulae ex salmone cum muria.
*Coturnices exossatae, iure concreto
retractae.*
*Bubula lento igni tosta, tuberosis so-
lanulis ornata.*
*Cistellulae ex tractis, variis cupediis
cumulatae.*

**

locosa.

Tuccius pictorem effigiem exprimentem
interrogans:

— Quanti — inquit — meam speciem ef-
fingas?
— Quingentis libellis.
— Et si oleum ipse ego tibi ministra-
vero?...

Postquam Magister thermometrum in
schola discipulis ostendit eiusque machi-
nationem fuse explanavit, Tuccio:

— Quid igitur est thermometrum?
Alter tacet.
— Atqui nunc quidem illud vidisti. Dic
saltem quibus elementis constet...
— Vitro, ligno...
— Ad quid autem adhibetur?...
— Ad parietes ornandas!

**

Aenigmata.

I

Corporibus praesto fulcrum. Mihi praefice
[sigma:]
Solamen miseris praebeo terricolis.

II
Pronomen monosyllabicum duplikato. Quid
Nascitur? Aethiopes quam coluere dea.
[inde]
Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) (vulgo *Rebus*):
Multa superveniunt incommoda seni; 2)
Viator-Victor.

LIBRORUM RECENSIO

Litterae encycliche « Aeterni Patris »
missae, quinquagesimo redeunte an-
niversario, in Lavalensi studiorum
Athenaeo commemoratae.¹

Iter ad Encyclicas litteras (*la marche vers
l'encyclique*), earumdem opportunum tempus
(*l'opportunité de l'encyclique*), pracepta (*les
enseignements de l'encyclique*), magisterium
(*les directives de l'encyclique*), effectus (*les
effets de l'encyclique*), haec sunt argumenta,
quae, docte ac sapienter elucubrata atque in
unum volumen collecta, hoc eodem encyclical-
rum litterarum anniversario anno quinqua-
sim a doctoribus Lavalensis studiorum Uni-
versitatis Canadensis opportune edita fuerunt.
Eminentissimi Patris Cardinalis Rouleau oratio
doctorum sententias compleat atque confirmat.

Quamduudum duplex mortifera labes e
Lutheri doctrinis originem ducens, Carthe-
sianismus videlicet atque Kantismus, philo-
sophicas doctrinas pessumdam earumque
integrā veracemque sententiam inficiebat?

Quod iter encyclicam epistolam versus,
antequam mitteretur, per salebras atque
dumeta confici debuit?

Qui duces, qui milites, qui ligones aspe-
rum iter nobis aperuerunt?

His tribus quaesitis clarissimus doctor PA-
QUET solida atque lacertosa dissertatione satis
superque respondet. KLEUTGEN JOSEPHUM

¹ Le cinquantenaire de l'encyclique « Aeterni Patris »
L'Action Sociale limité. Québec 1929.

(1811-1883) qui *constitutiones dogmaticas* Vaticani Concilii adornaverat primum commemorat, et una cum eo GONZALES ZEPHRINUM, cuius «*Sancti Thomae philosophica commen-taria*» cum potioribus philosophicis nostrae aetatis scholis conlata, erroris vim callidam atque pestilentem detegerunt, diruerunt. BARTHÉMY SAINT-HILAIRE, MONSABRÉ, FREPPÉL, SANSEVERINUS, LIBERATORE, CORNOLDI, ZIGLIARA, IOACHIM atque JOSEPHUS PECCI Perusiae docentes «*Academiae Sancti Thomae*» fundatores commemorantur, eorumque scripta atque sententiae, quibus iter ad *Encyclicam* epistolam «*Aeterni Patris*» explanatum est.

Clarissimus doctor ARTHURUS ROBERT, tempus quam maxime opportunum epistulae edendae exornat, quae, nullo negante, documentum offert maximum fortasse ipso stylo Summi Pontificis Leonis XIII exaratum. Fidem enim Christifidelium ex divi Thomae doctrina potissimum argumentis confirmat; quae rationi non adversatur, quin etiam eidem auxilio venit; qua de causa Angelici doctoris philosophia quasi humana habita est. Ea enim hominem neque angelum facit ut Descartes, qui homini intuitionem quasi angelicam vindicavit, neque animal ratione expers intuitioni aptum tantum sensibus subiectae veluti pecora inducit. Scholasticorum philosophiae multiplices cognitionum ordines effodiuntur, per analogiam dogmata ipsa aliquo modo explicantur atque theologica doctrina in dogmaticis quaestionibus ad humanum captum perbelle adiuvatur. Notum est haereticorum effatum: «*Tolle Thomam, ecclesiam delebo*».

— Spes vana, inquit Leo, sed non vanum testimonium. Familia, humana societas, auctoritas gubernantium, positivismi atque agnosticismi vinculis cohortatae, nil boni, nil pulcri iamdiu pree oculis habebant, suoque pondere pressae, non aliunde nisi ex Divi Thomae doctrina sublevari poterant.

Quid de «scientiarum» fundamentis? Scholarum metaphysica in principiis ontologicis doctrinarum fundamenta ponens, eas

non in mobili arena, sed in petra solida atque firma statuit.

Tertio loco, clarissimus doctor GAUDRAULT sapienter epistulae praecepta commemorat. Ante omnia ut *Deus* cognoscatur ab hominibus. Thomas enim illud Hilarii sibi vindicavit: «Ego hoc vel praecipuum vitae meae officium debere me Deo conscient sum, ut eum omnis sermo meus et sensus loquatur». ¹ Opus tamen sancti doctoris in Deum prorsus spectat; conciliatoris vocatione illectus id unum in re philosophica spectavit, ut Aristotelis doctrinam, cuius virtutem atque pretium optime noverat, instauraret, ut eam postea in theologicis doctrinis ad rationalem dogmatis notitiam aptaret. ²

Platonis doctrinam quam Augustinus, quam Gregorius Magnus sequuti sunt, Aquinas non adamavit; Aristotelicam contra, non eam tamen quam docti Iudei, quam Arabes commentati sunt, sed renovatam ad suumque fontem iterum revocatam, coluit, docuit, baptimate purificavit. Leo XIII suis litteris Thomae argumentum resumens, recolit atque exornat consonas atque congruentes relationes, Fidem inter et rationem declarans non esse prorsus negligenda naturalia auxilia, quae a divina sapientia hominibus concessa fuere, ut rationis lumen divina gratia fultum iter ad Deum elucidare atque explanare posset. Vera omnia quae in Deum spectant humanum captum infinite superant; revelatio tamen ea nostris intelligendi viribus propinquit, ut philosophia Fidei subveniat. Cuius rei causa Leo XIII docuit: «Philosophorum doctrinarum munus est divinam revelationem pie ac religiose tueri inimicorumque incursionibus strenue resistere». Sanctus Doctor admirabili methodo seu analytica seu synthetica, doctrinas philosophicas undique iacentia collegit, veluti aurea catena coniunxit. ³

¹ *Contra Gentiles*, 1, 2.

² A. D. SERTILLANGES. *Saint Thomas d'Aquin*, t. 1, 14.

³ DE WULF, *Histoire de la philosophie médiévale*, T. II., 29.

Quarto loco, doctor JOSEPHUS FERLAND, quo familiariter utimur, cuiusque humanitas ea fuit, ut hoc volumine mentem animumque reficeremus, diligenter atque enucleate «epistulae encyclicae magisterium» exornavit. Epistula enim non doctrinam solum continet qua intellectus atque voluntas luminis claritatem attingant, sed magistri praecepta explicat, quae humana voluntas sequi debet. Clarissimus doctor subtili ratiocinio vim imperativam, sententiam itemque praeceptorum exigit. Latinus textus ita loquitur: «*Nobis dicto audientes*», quae loquutio genericam significationem portendit, sed usus plurimus hanc significationem coercuit, ita ut id valeat: «*Obedire iussis alicuius*». Leo XIII tam sapienter linguam latinam callebat ut hic sensus mentem eius prorsus non lateret. Pius X septimo Idus martias anno 1907 Episcopis Catholici Athenaei Parisiensis protectoribus describens, ita loquitur: «*Ac de philosophia petimus a vobis ne unquam patiamini in seminariis vestris minus sancte observari quae providentissime litteris encyclicis *Aeterni Patris* successor noster (Leo XIII) praecepit*». Eodem modo Benedictus XV, Pius XI, Leonis XIII praecepta interpretati sunt, ita ut Doctor Angelicus «*Studiorum* dux habeatur».

Quid plura? Nonnulli opponunt in Aquinate «esse quaedam, quae cum recenti disciplinarum progressu non consonant». Id nemo negaverit; sed id prorsus philosophicam doctrinam non inficit. Principia ontologica, quae in scholasticorum disciplina cognovimus, disciplinarum cuiuscunque generis profectu minime culpantur. Quo factum est ut sententia a Pio X in *motu proprio* «*Doctoris Angelici*» prolata nulli admirationi erit quicunque bene sibi cognitam atque perspectam Angelici doctrinam habuerit.

Ita loquitur: «*Angelici doctoris principia de rebus creatis eam nobis scientiam prae-bent quae cum Fide perfecte congruit, nobis-que arma suppeditant, quibus errores omnes omniumque temporum repellere poterimus*».

Unde recte ac sapienter ipse Pius X angelicum doctorem «*studiorum ducem*» cunctis fidelibus designavit.

Tandem WILFRIDUS LEBON, effectus litterarum «*Aeterni Patris*» commemorat; clarissimosque viros KLEUTGEN, LIBERATORE, CORNOLDI, qui in Gregoriana Universitate Thomisticas sententias doce ac sapienter tradiderunt. Collegium Urbanum de propaganda Fide, quod in Ianiculum montem ad Vaticanum nunc sedes transtulit, digno praeconio exornat. SATOLLI, LORENZELLI, LEPIDI, LÉPICIER doctores in Urbe eorumque discipulos toto Orbe degentes laudibus extollit. Extra fines Italiae nobilissimas urbes catholicasque studiorum Universitates recenset, quorum opera Aquinatis doctrina uberrimos sapientiae ac virtutis fructus germinavit.

Quae omnia Eminentissimi Patris ROULEAU allocutione, uti diximus, complentur, qua Lavensem Universitatem adfirmat fidelem semper Apostolice Sedis praeceptis fuisse, nec sibi alia nisi consolations obtulisse.

Nos nescimus quot sint discipuli atque doctores in finibus Italiae ad quos hic liber *Le cinquantenaire de l'Encyclique «Aeterni Patris»* pervenerit; sed non ad multos, censemus; nam collegas quam plurimos in Urbe doctores quibuscum de hoc arguento locuti sumus ita responderunt, ut in nos opinionem inducerent eos librum de quo egimus prorsus ignorasse.

Philosophica provincia nostra non est, neque Theologica, quamvis in Philosophicas atque Theologicas doctrinas a prima iuventute semper incubuerimus, humanarum litterarum studia iisdem copulantes, quapropter in libro recensendo arctisque finibus impediti non semper omnia, sed tantum potiora contemplati sumus. At proh dolor! quadam impunitia usi, cuius nos ipsos vehementer dolet. Sed ad suadendum ut optimus liber omnibusque partibus absolutus exoptetur, perlegatur, ea quae diximus sufficere posse censuimus.

ALEXANDER AURELI.

AD SEPULCRUM [1]

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

Personae.

PETRUS.
CAIPHAS.
ANNAS.
PILATUS.
MOYES.
DAVID.
IEREMIAS.
ISAIAS.
SATANAS.
POPULUS.

PROLOGUS.¹

Qui quondam scripsit lacrimans ad Golgo-
[tam,
Iudamque duxit laceratum stimulis,
Sui, quod fecerat, horrendi criminis,
Lubet si vobis, Petrum nunc discipulum
Ad Urnam dicit, ubi sunt compositae
Magistri examinis divinae exuviae.
Rerum nam spiritus tactus moestitia,
Gravemque criminis ferens iniuriam,
Gemit misellus, multas fundit lacrimas.
Tamen Magistri tactus indulgentia,
Suis diffusus sapienter viribus,
Ad hortum primitus currit Gethsemani,
Deinde ducitur moestus ad Tumulum.
Illic quot dulcior promit de pectore
Maerioris verba, verba confidentiae!
Viri quot pergunt ad Sepulcrum gloriae!
Erit quod bonae monumentum fidei.
Venit Pilatus, dixit qui sententiam;
Et ipsi adcurrunt Pharisaei, et plurimi,
Manu poëta ducit quos per ordinem,

Honoraturi sempiternum Filium...
Adest et ipse daemon! Desiderio
Virum noscendi Crucis qui pependeret!
Quid ipse videt? dixerit forte aliquis...
Solent poëtae saepe nempe cernere!
Timetne mundi sit Redemptio proxima?
At, at, cum Petrum Galilaeum noverit,
Confidit posse hunc trudere ad suspen-
[dium.

Malus quid autem poenitenti suggestit,
Uti sagitta mittitur, quae perperam,
Percutit aërem, tangit nec Apostolum.
Erant tunc illic tenebrae, silentium!
Et nunc si pluribus tenebris premimur,
Quae non conturbant, differunt et conci-
[tant,
Et altum mysticum silentium tenent,
Tacent prudenter, si doctiores plurimi,
In urna Iesüs quod videtur conditus,
Et audacieores ducti confidentia,
In Ipsum currunt et insiliunt denuo,
Eumque tractant modis mille sordidis,
Ut olim fecerant Iudei pessimi;
Resurget usque, pauculos post dies,
Suamque pacem conferet Ecclesiae.
Fuit sic ante semper, sic quoque in poste-
[rum.
Satis nunc; omnes ad actores vortite,
Eisque vestram date diligentiam.

(Ad proximum numerum).

IMPRIMATUR:

Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreoneum,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

¹ Unus e populo Hierosolymae erit Prologus.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

